



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd nullus ex genere, nec ex loco gloria debeat. ccviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De malo pastore quem suæ oues fugiunt. Cap. CCV.

Ex dictis August. **S**icut fugiunt oues vocem pastoris quem non cognoscunt, & deserta petunt, ita mali pastoris ouilia.

De illo qui nobilitatem Dei à se eicit. Cap. CCVI.

Gregori. dicit. **A**dam primus homo pro peccato de paradyso eiectus est, hoc est, qui nobilitatem Dei à se eicit, nobilitate loci priuetur.

Quòd non sint omnes filij sanctorum, qui tenent loca sanctorum. Cap. CCVII.

Hierony. dicit. **N**on facile est stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram regnantium cum Christo: quia hinc dicitur, non sanctorum filij sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Quòd nullus ex genere nec ex loco gloriari debeat. Cap. CCVIII.

Gregori. dicit. **N**os qui præsumus non ex locorum nec generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate.

De sacerdotibus qui ouibus suis mala exempla præbent. Cap. CCIX.

Ex dictis August. **N**emo quippe amplius in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens, nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, cùm pro reuerètia ordinis peccator honoratur.

Vt tantùm curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat. Cap. CCX.

Ca. apost. A. **O**mnium negociorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, & ea velut Deo contemp'ante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis quæ Dei sunt condonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret: ne eorum occasione Ecclesiæ negocia depredentur.

De vsu pallij ne à metropolitanis præsumptiuè utatur. Cap. CCXI.

Ex decre. Honor. papa, cap. 3. **Q**vicunque sanè metropolitanorum per plateas, vel in litaniis uti pallio præsumperit, & non tantùm in præcipuis festiuitatibus, & ab apostolica sede indictis temporibus, ad Missarum solummodo solennia,